



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Item lex pro reducendis eis, qui ad insulas relegati erant. Cap. XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

bus suis fuerint priuati, & fortunarum omnium amissione oppressi, hucusque vitam abiectissimam degerint, isti quoque domiciliis pristinis, familiis, & facultatibus redditi, Dei opt. max. beneficentia læti fruantur.

Item lex pro reducendis eis, qui ad insulas relegati erant.

CAP. XXXI.

Quin etiam eos, qui in insulis inuiti detinentur, istius prouisionis & sollicitudinis nostræ beneficio potiri mandamus: ut scilicet cum hastenus angustis montium recessibus, maris fluctibus circumiectis, vndique conclusi fuerint, iam acerba illa solitudine, & à natura hominum penitus alienata liberati, desiderio rerum ab ipsis optatarum satiati, se ad amicissimos recipiant: Cumque longo temporis spatio in squalore & sordibus odiosis vixerint, reditum, velut prædam repentinam minimeque expeccatam nacti, curis præterea molestis que in posterum erepti, vitam metus expertem sub nostro traducant imperio, qui quidem vos Dei famulos esse & gloriamur, & pro certo persuasi sumus, quique ei, quod à ratione alienissimum est (præsertim cum nostrum sit aliena peccata corrigere) ne aures quidem patefacere debemus, nedum fidem adhibere.

Item alia lex, pro iis qui ad metalla cum sui ignominia & ad publica opera damnati erant.

CAP. XXXII.

Quicumque porro aut ad metalla effodienda condemnati sint, aut ad publicorum operum ministeria ob-eunda addicti, hi cotinuis laboribus cum grato ocio commutatis, facilius & lenius vitæ genus libera cum potestate agant: immoderatis laborum asperitatibus in placidam animi remissionem conuersis. Atque si qui libertate quæ est omnium communis exciderunt, & ignominia affecti fuerint, isti cum solida lætitia priorem dignitatis gradum, tanquam diuturna peregrinatione ab ipsis alienatum recuperantes, in suam ipsorum patriam maturè se recipiant.

Pro